



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XVI. De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

4. Resp. quartò: Dissoluto matrimonio ob viri impotentiam in genere absque expressione causæ specialis (quod facere Judex non debet, ut Castrop. l. c. n. 4.) si vir ineat aliud matrimonium, statim separandus est, utpote absolute judicatus impotens. Mulier verò, si alteri nubat, separari non debet, priusquam investigetur causa impotentia, ob quam prius matrimonium dissolutum, nimirum dum causa hæc in sententia dissolutionis expressa non est, ex actis prioris processûs, & ex causis, quas testes & matronæ reddiderunt, stat siquidem possessio pro secundo illo conjugio. Sanch. l. 7. d. 99. a. n. 27. Gutt. c. 115. n. 9. Ponc. l. 7. c. 64. n. 4. Castrop. n. 4.

5. Resp. quintò: Conjuges redditi ad prius conjugium, posteriore dissoluto ob errorem deprehensum, si intra triennium habere non potuerunt copulam, omnino separari debent, & ad secundum conjugium reddendi; quia convincitur, fuisse impotentiam respectivam quò ad prius matrimonium, Sanch. n. 34. Castrop. n. 6. Si autem interea, quò restaurandum prius matrimonium, alter sit professus, nulla facienda restitutio; cum per professionem dissolutum matrimonium prius ratum tantum. Secus est, si transtulerit ad SS. Ordines, reddendus enim tunc esset uxori id petenti; cum per sacrum ordinem non dissolvatur matrimonium. Sanch. n. 39. Conjuges verò ante hanc professionem ad secundum matrimonium transiens separanda; quia nulliter contraxit. Sanch. Castrop. ll. cit.

Quest. 257. An & qualiter sententia lata pro dissolutione matrimonii transeat in rem judicatam.

1. Resp. primò: Sententia lata in causa dissolutionis matrimonii (intellige, non tantum ob impedimentum impotentia, sed etiam propter quodcumque aliud seu aliam causam) quantumcumque confirmata, vel etiam elapsus terminus ad appellandum, non transit in rem judicatam, sed retractanda, quoties compertum, ex errore processum esse. Covar. 4. decret. 2. part. c. 8. §. 12. nu. 12. Sanch. l. 7. d. 100. a. n. 1. Castrop. cit. §. 12. n. 7.

juxta quod deciditur c. lator. c. consanguinei. c. tenor. de sent. & re judicat. c. fraternitatis. b. t. Quin & Judicem ex officio etiam invita parte tenenti ad hujusmodi retractationem, cum illius sit peccata auferre & inconvenientia (qualia sunt matrimonium validum irritum declarare, & vi hujus declarationis conjuges revera non liberos reputare se liberos) evitare, docent Cardin. in c. lator. n. unic. Sanch. n. 3. Castrop. n. 7.

2. Resp. secundò: Tamen si non transeat in rem judicatam, ut non possit per viam querelæ contra eam allegari. Covar. Sanch. ll. cit. Castrop. n. 8. Suscipit tamen autoritatem rei judicatæ, ne per appellationem possit corrigi aut impugnari, quin allegans contra ipsam suæ impugnationis causam verisimilem proponat, quam Judex prius summarie non citato adversario cognoscere debet, & eâ apparente verisimili, audiendus allegans, aliàs repellendus. AA. iidem. Porro querela nova audiri debet novo proposito libello, cum secundum priorem instantiam sententia transeat in rem judicatam, juxta c. ex literis. de integ. rest. Proponenda autem querela coram eo Judice, qui adiri potest per simplicem querelam, qui est ipse, coram quo prius causa matrimonialis acta fuit, aut agi poterat. AA. iidem.

3. Resp. tertid: Dicta sententia transit in rem judicatam quo ad expensas, in quas succumbens condemnatus fuit; quia ex firmitate hujus condemnationis nullum fovetur peccatum, quæ est ratio retractandi sententiam circa nullitatem matrimonii. Ita AA. citati. Ex quo etiam generaliter inferit Castrop. quod quoties observata sententiâ ex consensu utriusque conjugis peccatum cessat (ut contingit, cum his movetur lis circa valorem matrimonii ob impedimentum metus vel conditionis servilis ignoratæ) & hic, qui impedimentum allegavit, succumbit; quia pronuntiata sententiâ pro valore matrimonii legitimo tempore non appellavit, aut appellationem non est profectus; non potest contra latam sententiam insurgere; quia in hujus observatione nullum est peccatum.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

Quest. 258. Quid hic intelligatur per veritum seu interdictum Ecclesiæ, quam vim habeat, & quam obligationem pariat.

1. Resp. ad primum primò: Non venire hic nomine hujus impedimenti interdictum Ecclesiæ generaliter seu late sumptum, prout significat prohibitionem à SS. Canonibus factam, seu etiam prohibitionem quamlibet ecclesiasticam matrimonii, sic enim comprehendit impedimenta omnia etiam dirimentia (quale non est hoc) sed sumptum strictè seu specialiter pro prohibitione hic & nunc specialiter facta à superiore ecclesiastico ob causam legitimam interdicente matrimonium celebrare ad tempus, donec melius, dum fortè obicitur impedimentum, de habilitate contrahentium, cognoscatur, vel caveatur de scandalo inde nato, vel nascituro. Pro ut de hoc impedimento agitur c. sin. §. cum autem. de clandest.

despons. ubi Parochis præcipitur, ut, cum apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam contractis, interdicator expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Unde etiam patet, hoc impedimentum esse distinctum ab impedimento feriarum (de quo qu. seq.) quo non matrimonium, sed tantum ejus solemnitas interdicitur. Neque etiam venire interdictum ecclesiasticum, quod est censura & poena ecclesiastica, quæ quis à perceptione quorundam Sacramentorum à divinis officiis & sepultura ecclesiastica arceatur, cui interdicto subiectus cum alio, vel non, vel pariter interdicto, vel etiam loco interdicto, tamen si contrahat validè, secundum omnes, licet tamen contrahere negant Suar. d. 33. de censuris. f. 1. n. 5. Ponc. l. 6. de matr. c. 9. n. 4. eò quòd matrimonium non sit inter Sacramenta, quorum perceptio tempore vel loco interdicto permittitur. Affirmant è contra Covar. in c. alma mater. p. 2. §. 2. 7. Abb. in c. non est. de sponsal. Sanch. l. 7. d. 8. per tot. Henric. L. 13. a. 45. & alii.

alii, quos sequitur Krimer. n. 1343. ait tamen Castrop. *tr. 29. d. 5. p. 4. §. 1. n. 28.* tempore interdicti fieri posse benedictiones; quia pertinent ad ordinis exercitium, & divinatorum officium; & estque ratio, quod quando ob interdictum quorundam sacramentorum perceptio & officia divina prohibentur, de iis Sacramentis non exceptis intelligitur, quorum ministratio proprie actus principaliter est spiritualis, & quidem ministri ecclesiastici ad hoc specialiter à Christo destinati; non autem, quando præcipua actio est potius merè civilis, & solum accessorie Sacramentalis, ut contingit in matrimonio consistente principaliter in contractu civili à Christo gratiosè assumpto ad rationem Sacramenti, cujus ministri sunt solum contrahentes, nulla deputatione Christi aut Ecclesie functionem suam petagentes.

2. Resp. ad primum secundò: Tale interdictum procedere potest non tantum à Papa, Episcopo & episcopalem jurisdictionem habente, sed etiam à parrocho. Nav. *c. 22. n. 68.* Sanch. *l. 7. d. 6. n. 6.* Ponc. *l. 6. c. 7. n. 2.* Castrop. *l. c. p. 2. §. 1. n. 1.* pro ut constat ex *c. fin. de claud. despons.* ubi parochis præcipitur, ut tale interdictum interponant, ubi probabilis conjectura de impedimento apparuit, in quo tamen casu licet parochi inhibere possint matrimonium, non tamen de eo impedimento cognoscere possunt. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 1.* cum transactio causarum matrimonialium pertineat ad Judicem ecclesiasticum, qui est Episcopus ejusve Vicarius similisve Prælati exempti, vel etiam delegatus juxta *c. accedentibus. de excess. Præl. & c. 1. de consanguin. & affin.* junctâ *Gl. v. potestatem. & Abb. ibid. n. 12.*

3. Resp. ad secundum: Vi hujus interdicti à Parrocho vel Episcopo lati matrimonium non irritatur, sed nec irritari potest; cum ii impedimentum dirimens matrimonio contrahendo statuere nequeant. Unde dum in pluribus textibus præcipitur separatio matrimonii, si contractum contra interdictum Ecclesie, non intelligitur de solutione vinculi, sed solum de separatione quò ad cohabitationem, ut patet ex *c. fin. Pari modo intelligendum, dum quandoque dicitur tale matrimonium irritandum, nempe de irratione seu suspensione temporanea, vel si debeat intelligi de irratione perpetua; id locum habet, ubi causa prohibendi est perpetua & probata, nempe impedimentum dirimens, quod denunciatur. Sed & factum interdictum ab ipso Papa solum impedit, non dirimit matrimonium. *c. 1. & 2. h. r.* contrarium tamen sentire videtur Zypæus in *consult. can. ad h. r. consult. 1.* item Sanch. *l. 7. d. 1. n. 9.* qui tamen de hoc ibi nihil, & *d. 2. à n. 3.* sentit expressè contrarium, & refert Gonz. *ad c. 3. h. r. num. 2.* nisi forte adjunctam haberet clausulam irritantem, uti habere potest; cum Papa potestatem habeat ad justam causam inhabilitandi personam singularem ad matrimonium hic & nunc contrahendum. Castrop. *l. c. n. 2.* Ponc. *n. 5.* Arg. *c. ad dissolvendum. de spons. impub. & c. tuae fraternitatis. de sponsa duor.* Circa quod postremum notat Krimer. *à n. 1339.* ex Sanch. *l. 7. d. 2. n. 11.* Clausulam illam irritantem, quæ apponitur prohibitioni matrimonii celebrandi, vel esse solum generalem, quæ se non refert specialiter ad matrimonium (uti fieret, si Papa prohiberet matrimonium dicendo: si quid gestum contra sit, fore irritum & inane) & in hoc casu matrimonium non fore irritum; vel esse specificam, si nimirum se referat specificè ad matrimonium dicendo expressè, matrimonium gestum contra prohibitionem fore irritum: & tunc revera esse irritum. Notandum etiam hujus distinctionis dat: quòd matri-*

R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. IV.*

monium sit res ardua & gravissimum negotium, illud irritare exigat clausulam specificam; & clausula illa generalis sufficienter fortiatum suum effectum dicendo: quòd factum contra interdictum, non valeat in præjudicium alicujus; vide de hac distinctione Wiestn. *h. r. à n. 5.* Item quòd adhuc dupliciter clausula irritans illa referre possit ad matrimonium, pro ut causa interdicti est temporalis vel perpetua; & in priore casu, dum nimirum causa non est nisi temporalis, adhuc per talem clausulam non irritari matrimonium, sed solum suspendi, saltem si ab inferiore Papà adjecta.

4. Resp. ad tertium: Interdictum hoc (intellige, etiam latum à parrocho) nisi manifestè injustum videatur (quòd nunquam præsumendum est) inducit obligationem sub mortali; quia materia est gravis, ut colligitur ex *c. 1. h. r.* ubi transgressores hujus prohibitionis seu interdicti in pœnam ad tempus arbitrio Judicis designandum separantur, quæ pœna, cum sit gravis, indicat culpam gravem. Sanch. *l. 7. d. 15. n. 4.* Ponc. *l. 6. c. 7. n. 8.* Coninck. *d. 30. du. 3. ad initium.* Castrop. *l. c. §. 1. n. 1.* Potest nihilominus quandoque esse hæc obligatio non nisi sub veniali. Castrop. Sanch. Ponc. *ll. cit. V. G.* si in venerationem alicujus festi prohibitio matrimonii fiat pro illo die; cum non videatur graviter lædi festi veneratio matrimonio eo die festo celebrato.

Quest. 259. Quòd importet impedimentum tempus feriarum.

1. Resp. primò: Tempus hoc feriatum seu feriarum jure novo Trid. *sess. 24. de mar. c. 10.* est ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ; jure veteri quoque erat à septuagesima ad octavam Paschæ, & à diebus rogationum usque ad octavam Pentecostes. Incipit hoc tempus ad minimum à media nocte Dominicæ primæ Adventus (quanvis Sanch. *l. 7. d. 7. n. 2.* satis probabiliter putet incipere à primis vespers Sabbathi præcedentis primam Dominicam Adventus, eò quòd illo tempore incipiat officium Adventus) & durat usque ad Epiphaniam inclusivè. De die cinerum certum est, quòd non incipiat, nisi à medio noctis, duret autem ad Octavam Paschæ inclusivè, Castrop. *l. c. n. 3.*

2. Resp. secundò: Prohibetur hoc impedimento, non ut jure antiquo, ipse etiam contractus matrimonialis etiam præmissis denunciationibus, ut expressè Laym. *l. c.* & in facie Ecclesie, cum hæc solemnitas hodieum sit de forma substantiali; sed solum nuptiæ solennes solennitate extrinsecâ, quæ consistit in benedictione nuptiarum & traductione sponsæ ad templum vel domum sponsi cum pompa signisque aliis lætitiæ, convivio publico &c. & licet benedictiones illæ solennes sint aliquid spirituale, prohibentur tamen, ne, ut inquit Castrop. Ecclesia videatur autoritate sua ansam dare convivii aliisque festivitibus, & ad eas concurrere tempore, quo ipsa intendit omnes fideles ad jejunium & orationem excitare. Attendenda tamen in his omnibus ad locorum consuetudinem, vi cujus alicubi plus, alibi minus permittitur quò ad illas solennitates; unde licere secluso scandalo hoc tempore celebrare ibi matrimonium, cum plurium concursu, convivio aliisque signis lætitiæ, solasque benedictiones Ecclesie prohiberi, probabile censet Castrop.

Porrò in hoc præcepto, etsi lato in Concilio generali, nempe Trid. dispensare posse jure ordinario Episcopum; quia id reservatum non est, credunt Sotus, *in 4. d. 32. q. unic. a. 3. in fine.* Ponc. *l. 6. c. 7. n. 11.*

R

con-

contrarium censent extra casum urgentis necessitatis, quæ tamen vix occurrere potest; Sanch. n. 6. Ca-

strop. n. 5. eò quòd id generale sit, non posse inferiorem in lege superioris dispensare.

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

Quæst. 260. Qui veniant nomine filiorum & quotuplicis generis sint.

1. Resp. ad primum: Nomen filii, quamvis in singulari numero prolatum ex sua institutione & usu communi prolem solum masculam denotet, & ad feminam seu filiam vi interpretationis extendatur; arg. l. Herennius, & l. iusta, ff. de V. S. Expressum tamen in plurali numero communi usu utriusque sexus liberos comprehendit, arg. hujus rub. & l. quisquis, ff. de V. S. Barbof. h. t. n. 11.

2. Resp. ad secundum: Filii seu utriusque sexus liberi alii sunt legitimi; iique vel legitimi tantum; qui cum per naturam non sint filii, beneficio tamen adoptionis vel arrogationis à legibus approbatæ in numero liberorum censentur. §. 1. Instit. & l. 1. ff. de adopt. Vel legitimi & naturales simul, seu legitime nati, nimirum ex matrimonio verè aut putativè iusto, hoc est, contracto publicè in facie Ecclesiæ nullo contradicente, & bona fide, seu ambobus parentibus (aut saltem uno eorum, ut cum Gl. in c. cum inhibitio. de cland. despons. v. ambo parentes. Abb. in c. ex tenore. h. t. n. 3. Barb. ibid. n. 14.) nullius impedimenti dirimentis ante consummationem matrimonii seu tempore conceptionis sibi conscii (etsi dein iusta illa ignorantia, apparente nimirum impedimento, cessaverit ante nativitatem) procreati. Tholos. l. 10. Syntag. c. 3. n. 6. Mol. tr. 2. de 7. & 7. d. 165. n. 1.

3. Extenduntur hæc, ita ut adhuc legitimi sint primò procreati ex parentibus laborantibus ignorantia impedimenti, dum etiam ea est juris; licet enim ea iuxta l. 9. ff. de juris & facti ignor. non excuset ignorantem, non tamen nocet tertio; ac proinde licet, si eà laborantes consumment matrimonium puniri possint; non tamen impedire potest, quò minus proles bona fide cum tali ignorantia concepta sit & censeatur legitima. Passerin. de elect. c. 25. n. 115. quamvis etiam ex speciali juris dispositione, arg. nimirum. c. cum inhibitio. de cland. despons. facta in favorem prolum, dicta ignorantia eorum legitimitati non obstet, Reiff. h. t. n. 7.

4. Secundo nati ex parentibus, qui exorto & stante horum dubio de valore matrimonii bona fide contraxerunt, Peyer. in prelat. q. 2. c. 5. num. 110. Barb. in c. cum inter. h. t. n. 18. cum stante hoc dubio utpote speculativo conjuges commiseri possint, ut Sanch. de mat. l. 2. d. 4. num. 4. & 8. Secus est, si cum tali dubio contraxerunt, non adhibita diligentia in deprehendenda veritate; quia adesset ignorantia affectata, quæ æquivaleret scientiæ, arg. L. ne supina. ff. de jur. & facti ignor. & c. eos de temp. ordin. in 6. quæque legitimitati proles non favet, c. fin. de cland. desp.

5. Tertio nati ex utroque etiam parente constituto in mala fide circa impedimentum aliquod non dirimens. Suar. de censur. d. 50. f. 1. n. 8. Peyer. l. c. n. 107. Sanch. l. 6. d. 38. n. 1. Qualiter tamen nati ex parentibus, qui contraxerunt mala fide sine præmissis denunciationibus non habeantur pro legitimis, non juvante illos ignorantia (quippe quæ censetur affectata) latentis impedimenti dirimentis,

nempe consanguinitatis & affinitatis, juxta cit. c. cum inhibitio. vide apud Reiffent. h. t. n. 3. & apud me in foro benef. part. 1. 258.

6. Quarto nati stante legitimo matrimonio ex uxore, quam constat esse adulteram; idque, etiam si referant facie adulterum; nisi ex mariti absentia, infirmitate aliove impedimento aut impotentia temporali, eum tempore conceptionis copulam cum uxore non habuisse probetur. Menoch. de arb. cas. 89. Gutt. qq. can. l. 7. c. 3. n. 3. Barb. in c. per tuas. de probat. n. 3. arg. l. miles, §. defuncto. ff. ad leg. jul. de adult. & l. filium, ff. de us, qui sui. vel alien. c. causam. h. t. Quin etsi uxor fateatur, partum suum esse adulterinum, Barb. l. c. Abb. ibid. n. 4. Gail. observ. pract. l. 7. obs. 97. n. 8. & hæc, quia præsumptio est pro prole, & nemo uni soli credere in sui præjudicium tenetur. Unde Legitæ filium reputant fatuum, qui credit matri, se esse ex adulterio natum; nisi tamen fortè, ut Fagn. in c. officii. de penit. & remiss. à num. 20. filius ita evidenter à matre informetur, ut prudenter de eo dubitare nequeat.

7. Quinto nati ex matrimonio, quod non erat Sacramentum, nempe infidelium seu non baptizatorum; modò tamen ex usu gentis fuerit verum matrimonium, sicut revera est, etiam si ab iis contractum cum impedimento aliàs solo jure ecclesiastico (utpote cui subiecti non erant) dirimente, manetque indissolubile, postquam ad fidem conversi. Abb. Jo-And. in c. fin. h. t. Barb. ibid. n. 2. Pirh. h. t. num. 17.

8. Sextò procreati ex legitima uxore post susceptum à viro Sacrum Ordinem. Suar. l. c. n. 4. Peyer. l. c. n. 112. Majol. de irregul. l. 1. c. 4. n. 9. quin & post sacrum ordinem uxore invitâ, matrimonio non consummato. Abb. in c. 2. de convers. conjugat. Sayrus de censur. l. 6. c. 10. num. 40. Passerin. l. c. n. 113. quia in neutro horum casuum ordo sacer solvit matrimonium etiam ratum tantum, Barb. in Extravag. antiqua. n. 10. cum communi. Secus est de natis ex alterutro conjugum post matrimonium ratum tantum professo; cum per professionem solvatur matrimonium, juxta Trident. sess. 24. c. 6. de matr. Majol. l. c. n. 4. Sayr. l. c. An verò idem dicendum de natis ex legitima uxore, postquam vir & uxor consummato matrimonio professi sunt in religione, non convenit inter AA. dum Host. in sum. de filiis presby. n. 5. Sylv. v. illegitimus, & alii volunt esse simpliciter illegitimos; alii illegitimos, addendo vel subintelligendo naturales, seu illegitimos canonicè, seu Jure canonico; alii esse simpliciter legitimos; quia non arcentur à succedendo in bonis patentum, nec ullibi dicuntur inhabiles ad honores; alii, ut Abb. in c. ad literas. de fil. presbyt. Sanch. l. c. d. 38. n. 7. Passerin. l. c. n. 186. illegitimos ad instar seu secundum quid, eo quòd irregulares sint & promoveri nequeant ad ordines & beneficia, æquè ac simpliciter irregulares. Vide me in Foro benef. part. 1. q. 259.

9. Septimò pro legitimis habendi expositi, quorum parentes ignorantur secundum sententiam valde probabilem & communiorem, quam sectantur Menoch. de arb. cas. 369. per tot. Pont. de mat. l. 11.